



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

B. Nicolavs Conf. 23. Februarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

23. Feb. VITÆ SANCTORVM. 105

sic tamen afflictus manus vietas dedit LAZARVS,
sed precibus Imperatricis vitæ donatus continuo
in fano D. Baptiste ejusdem imaginem exornare
aggressus est. Idem in aliis templis, sublato à vivis
Theophilo, factitavit, felici semper manu, et si non
haberet jam manum. Ex Curopal. & Zona.

Quicumque speciem animæ custodire desiderat,
peccatum omne materiamque peccandi summo stu-
dio derelinquat. Quid enim sic fecit mentem,
Dei deformat imaginem, quemadmodum scelerat
Quot delicta, tot maculae gestantur in anima.
S. Laur. Iust. de casto Conn. c. 21.

B. NICOLAVS CONF. 23, Februarij.

Nesciunt, qui aris struunt ornantque, quām
propè absint ab eo, cui struunt, cui ornant.
At scire poterunt, si velint. Audierat jam vocan-
tem DEVVM NICOLAVS, & monachum indutus
aram curabat, cùm Christus talem illi se objecit,
qualis inter Apostolos obambulare terras visus
est, & iteratò ad signa sua illis verbis invitavit:
NICOLAE sequere me. Nimirum erat hoc currenti
stimulos addere, contra quos toties hodie (cùm
DEVS à mundi uberibus avocat) ignavi cunctato-
res calcitramus etiam. Nec adeò multum tempo-
ris abiit, cùm NICOLAO facienti amicus Christus
non jam post cancellos, hoc est panis nubem, sed
qualem Angelorum oculis homines invidemus,
prospicere visus est, ut post tantos Numinis favo-
res minus jam mirer familiarem NICOLAI cum
beatissimis consuetudinem; qui, cùm dæmon
malus Divum per fenestram jam jam in præceps
ageret, auxilio officiosi advolarunt, territumque
in geminos choros divisi animarunt, mox etiam

E 5

oculis

106 VITA SANCTORVM. 24. Feb.

oculis omnem, qua in ipsis amatur, spectandam elegantiam propinarunt. S. Dorothea etiam animo inter insultus dæmonis fluctuantem præsentem opem tulit. Sed ego modestiam miror animi in NICOLAO. Prior omnibus in monasterio cum esset, ut postremus esset, frustra diu supplicatus; tandem orando undecies millies Dominicam, toties Angelicam precationem, cælum exoravit. Ergo tanti putavit honores vendere, quanti hodie emerent alii. Ex ligno vita Arn. VVion.

Per Christum sensibus innovatus, abjecta seculi hujus figurâ formam tuam in formam tui reduc Salvatoris, ut novitas sensu tuorum in tuis actibus elucescat, & celestis homo calesti habitu jam gradiatur in terra. S. Pet. Chrys. hom. 120.

S. MATTHIAS APOST. 24. Februarij.

Quem locum scelere infando & morte infami vacuuni Iudas fecit, eum hodie MATTHIAS virtus occupavit, numerumque numero suo carentem felicissime instauravit, cum nobilissimo Candidato cœli etiam vota suffragarentur. Ergo postquam orbi bellum movere placuit, MATTHIAS provincia decreta est Iudæa, ob infensissima populi in Christum odia, longè id temporis difficilima. Sed magnis animis hanc aggressus MATTHIAS facile debellavit. In Æthiopiam quoque excurrit. Ibi pugnatum verbis ac prodigiis persæpe, & expugnati multorum animi Christo, & MATTHIAS deditioñem fecerunt. Interea successu rerum felicissimarum rumpebantur Pontifices, uti populi, ita odii in Christianos principes. Neque tamen aliud, quam triumphum parabat invidia. Hunc concessit Pseudopont, cum mortem indixit.

Magnus